

sulphur in summo gradu, salpetra in summa pingvedine, Mercurius in summ. contrarietate. Ex his tribus tonitru, fulmen, & tempestates fiunt. Ecquis compendiosius exprimere rem potuisset? Sed heus, Vir optime, probari paradoxa debent. Philosophia hodiè apparet oculata; credit, quod videt, aut immotis deprehendit verum esse argumentis. Quæ illæ fulminales stellæ? aut sulphuræ, nitrosæ, similesvè? scit, quæ nescit, quæ nec facta, nec futura sunt, Aureolus. Ad rem, cur non distinctè appellavit Solem, Jovem, Mercurium, Saturnum, Martem, cor Leonis, aut illius caudam? Cur configurationes Planetarum, si-ve mutuos adspectus, aut illorum oppositiones, aut conjunctiones prætermisit? Et conjunctionem quidem magnam Anni proximè superioris meritò Astrologi urgebunt. Sed cum hæ universales ac remotæ nimis causæ videantur, propiores indagandæ potiùs in terra. Toto mense Junio videlicet & Julio, & ultra dimidium Augusti, diebus paucis admodùm exceptis (3. 23. 27. & 28. Junii. 4. 5. 12. 16. 20. & 31. Julii, itemq; 1. 11. 29. 30. & 31. Augusti) aut insolitæ densæq; nebulæ, aut pluvix, aut fulmina, aut psecades cum ventis alternantibus in Horizonte nostro & viciniâ observabantur. Positis, nec impeditis causis hisce proximis, non potuit non sequi extraordinarius effectus.

Finis superest. Qui talibus phænomenis signatum aut eventum tribuunt prodigiosum, veluti Cometis, Julium Obsequentem pro ductore habent. Neque Romanus Sapiens abhorret. Vidimus (inquit Seneca, in qq. natural.) non semel flammam ingentis pilæ specie, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus, cum de Sejano actum, nec Germanici mors sine denunciatione tali fuit. Trabsæpe visa. Trabem olim conspectam, cum
Lace-